DE FESTO
SANCTORUM APOSTOLORUM
PETRI, ET PAULI
OCTO DIERUM SUPPLICATIONE CELEBRANDO

IN URBE ROMA

EX LEGE SUMMI PONTIFICIS
BENEDICTI XIV.
CHRISTIANAM REMPUBLICAM FELICITER MODERANTIS

CARMEN
LUCÆ DORASCENTII

PHILOS. ET MED. DOCT.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM PRINCIPEM

ANTONIUM XAVERIUM GENTILI

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM.



ROMÆ MDCCLI.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, ET REV.MO PRINCIPI

ANTONIO XAVERIO
CARDINALI GENTILI

LUCAS DORASCENTIUS PALIANENSIS

PERPETUAM FELICITATEM.

INTER *quamplurimas, eaſdemque ſanctiſſimas* BENEDICTI DECIMIQUARTI *Eccleſiam feliciter gubernantis Conſtitutiones, quæ ad alendam, & confirmandam populi Chriſtiani pietatem erga Superos pertinent, illa eſt maxime memoranda, qua Natalitia Apoſtolorum Petri, atque Pauli in hac principe Urbe octo dierum ſupplicatione in poſterum juſſit cele-*

Digitized by Google

celebrari. Hujus ego Conſtitutionis præcipua capita Carmine heroico ſum complexus, eo conſilio, ut litterarum ſtudioſi adoleſcentes, qui latinæ poeſeos voluptate capiuntur, magis ac magis inflammentur amore Apoſtolorum Sanctorum, qui præſenti ope a noviſſimi belli calamitatibus, atque aliis multis Romanos incolumes præſtiterunt. Id autem Carmen in Tuo Nomine volui apparere, EMINENTISSIME PRINCEPS, *cujus inter egregias laudes illa non ſane poſtrema eſt, quod omnes ordines Civitatis a Te optima exempla religionis in Superos poſſint petere, ac debeant: ejuſque rei tam multa ſunt, quæ vel publice in Urbe, vel domi privatim argumenta dediſti, ut ſupervacaneum ſit ea ſcientibus, ac prædicantibus commemorare. Tu vero hoc meum ſive tuorum in me officiorum teſtimonium, ſive meæ erga Te obſervantiæ ſignificationem (quæ tua eſt humanitas, & in has litteras cum pietate conjunctas egregia voluntas) boni conſules.*

CAR-

Digitized by Google

CARMEN.

MAXIME divini Paſtor gregis, Optime Regum
Huc ades o BENEDICTE, & laudibus ora canendis
Magnanimum Heroum, quorum ſtat numine Roma,
Noſtra para: nam tu fixiſti in ſæcula legem;
Primus & ipſe novos (1) aris imponis honores
Pro re Romana, pro religione tuorum,
Dum Vaticano redeunt ſolemnia templo.
Ipſe Petri celebrans veteres, Paulique triumphos,
Suppliciter caſtis oneras altaria votis
Mentem animumque Deo ſimilis. Mox quiſque Quiritum
Ordo ſacer Patrum, rituſque imitata decoros
Turba virum, matreſque, nurus, hilareſque puellæ
Templis vota ferunt octo repetita diebus.
Altera (2) namque dies alio videt ordine Patres,
Pontificis magni ſolium queis cura tueri,
Fervere, & ad templum ſolemnes ducere pompas,
Templum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Quod procul hinc Paulo pietas antiqua ſacravit,

Com-

(1) *Ex Conſtitut. SS. D. N.* BENEDICTI XIV. *De Die Natali BB. Apoſtolorum Petri & Pauli per totam octavam Romæ celebrando*; *pag.* 3. Statuimus, ac decernimus, ut recurrente per ordinem Natali die eorumdem Apoſtolorum, non ſolum in Baſilica Vaticana, ut nunc moris eſt, in pervigilio ejuſdem Feſti Veſperæ ſolemnes celebrentur, quibus intereſſe ſolet Romanus Pontifex cum S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Romanæ Curiæ Prælatis, qui locum in Capella Pontificia obtinent, & mane in eadem Baſilica ſolemne Sacrum ab *ipſo* Romano Pontifice peragatur &c.

(2) *Ibidem pag.* 3. Secunda igitur intra octavam die Miſſarum ſolemnia in Pontificalibus celebrentur, præſentibus Ven. Fratribus Epiſcopis Pontificio Throno aſſiſtentibus, in Baſilica B. Apoſtoli Pauli via Oſtienſi, in qua celebris eſt utriuſque Apoſtoli memoria, ſacræque reliquiæ ſervantur &c.

Compoſuitque aras, amborumque oſſa Parentum,
Qua via Laurentum, Tyberinaque ad oſtia ducit.
Tertia lux illis meritos (1) inſtaurat honores
Virginis ad templum, nomen cui priſca verendum
Nobilitas dabat, & genus alto a ſanguine regum.
Hic Petrum hoſpitio venientem accepit in Urbem
Religione Pudens inſignis, & omine magno
Naſcentis populi, Chriſtum & pia caſtra ſequuti.
Nec minus in Lata (2) templum regione Mariæ,
Paulus ubi primum latitans ſub paupere tecto
Romulidis præcepta dedit, certamque ſalutem,
Concelebrant proceres per limina læta frequentes.
Eſt quoque (3) in Exquiliis, Petri quod vincula ſervat
Ferrea, ſed regum pretio ſuperantia mitras,
Heroumque capit laudes, venerabile templum.
Carcer & exiguus Tarpejo (4) continet ædem
Anguſtam ſub colle, recens ubi lympha jacentem
Errorum in tenebris, manifeſto numine divum,
Cuſtodem eripuit ſtygio de carcere utrumque.
Perſonat ille locus ſexta jam luce parentum
Nominibus magnis: hinc edita perſonat ædes
Janiculi: hic (5) moriens ſenior cruce fixus in alta
Chriſtum ſponte ſequens pulchro diſcrimine lethi

Nixus

(1) *Ibidem pag.3.*: Tertia die in Eccleſia S.Pudentianæ fiet ſolemne in Pontificalibus Sacrum, ioterveoientibus dilectis filiis Protonotariis Apoſtolicæ Sedis ex nomero Participantium. Nam perbibeot hoc loco fuiſſe domum Pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam adveoit, hoſpitatus eſt Princeps Apoſtolorum Petrus, qui in eadem domo verbum Dei gentibus aononciavit, ſacras babuit Synaxes, Sacrum pluries fecit, & Sacramenta Chriſti adminiſtravit; &c.

(2) *Ibidem pag.4.*: Quarta die in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Via-Lata Miſſarum perſolvantur ſolemnis, intervenientibus dilectis filiis Cauſarum Palatii noſtri Auditoribus. Locus enim iſte antiqua eſt Religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hoſpitio exceptus eſt Apoſtolus, & Ma-ſter Gentium Paulus &c.

(3) *Ibidem*: Quinta die ad Miſſarum ſolemnia in Pontificalibus celebranda conveoient dilecti filii Cameræ Apoſtolicæ Clerici io Eccleſia S. Petri ad Vincula, ſub titulo Eudoxiæ. Hæc enim prima Eccleſia eſſe traditur, quæ a Priocipe Apoſtolorom fuit Romæ immortali Deo dedicata; in bac ejuſdem Beati Apoſtoli Sacra Vineola ſervaotur, quæ ſemper ſummo in honore, ac veneratione apud Fideles omnes fuerunt, pluraque beniguiſſimus Deus miracula per ea efficere ad laudem, & gloriam ſervi ſoi dignatus eſt &c.

(4) *Ibidem*: Sexta autem die in Eccleſia S. Petri in Carcere, quo, ut ferunt, BB. Apoſtoli Petrus, & Paulus per plores meoſes arctiſſima cuſtodia ad mortem uſque detenti ſuut, eorumque cuſtodes Proceſſus, & Martioianus ad fidem converſi, ſubito ex proxima petra Divina virtote fonte enato, fuerunt a Petro ſacro Baptiſmo abloti; & ubi iu Vioculis, & teterrimi carceris ſœditate inviſentibus ſe Evaogelium Dei prædicare, curare iofirmos, ſanare ægrotos, & multa alia patrare miracula non deſierunt.

(5) *Ibidem*: Septima die Miſſa in Pontificalibus, aſſiſtentibus dilectis filiis Abbreviatoribus de Parco Majori, celebrabitur in Eccleſia S. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditione fertur, Beatus Apoſtolus Petrus cruci affixus martyrio coronatus eſt capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatis, aſſerens ſe indignum, quod ſic crucifigeretor, ut Domious ſuus; ſed ita è terra Cœlum, quo iter parabat, ſuſpiciens, admirandæ bomilitatis virtutem, novique myſterii diſciplinam & inter tormenta ſervavit.

Digitized by Google

Nixus humo placita caput, adſpectavit olympum,
Et monſtravit iter, ſocioſque in regna vocavit.
Quid memorem (1) ut templum Laterani turba frequentet,
Et colat argento, variiſque ornata lapillis
Heroum capita, & ſupplex in vota laceſſat
Egregias animas, olim quæ in ſedibus illis
Divinos monitus, ac nil mortale ſonabant?
Hæc eſt illa dies, cum vos fulgentibus oſtro
Tollitis ante aram Patres in veſtibus ora
Concilio in magno, fiunt ubi ſacra quotannis,
Heroumque ferunt laudes longa atria circum
Agmina pulſantum citharas, & voce canentum:
En quorum auſpiciis propior fert culmina cælo
Roma potens, pedibuſque Acheronta ſubegit avarum,
Et manibus totum geminis complectitur orbem,
Ut virtute regat populos, & legibus æqui;
Divinas ut paſcat oves, & paſcua late
Extendat, pecudeſque ipſas, & ovilia ſervet.
Petrus enim Alecto diram, & Cocytia monſtra
Sternit humi victor, vincliſque & carcere frænat;
Peſtemque, horribilemque famem Laurentibus arvis
Pellit in Odryſias gentes, & barbara regna.
Huic Paulus comes ad pacem diſcordia regum
Pectora convertet, ſanctiſque hortatibus iras,
Atque odia, & cæcos regnorum, & laudis amores,
Horrendamque ſitim cædis, fuſique cruoris
Sedabit, tolletque feri mala ſemina belli.
Tum pax alma ferens ramos felicis olivæ,
Atque amor, & junctis pariter concordia dextris
Inviſent late populos, Latiique per arva
Lætitiam, riſuſque ferent: tum juſta cupido
Bellorum, piaque arma Dei vertentur in hoſtes.
Jam video noſtris circum plena æquora velis
Fervere, jam trepidare vagi ſeptem oſtia Nili,
Euphratemque, Tigrimque ſuo ſe condere in amne.
Tantum religio, & geminis cuſtodibus Urbis

Rite

(1) *Ibidem*: Demum octava die feſtiva BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum ſolemnitas in ſancta Lateranenſi Baſilica abſolvatur. Ibi enim ſupra Altare Majus in argenteis imaginibus, margaritis lapidibuſque pretioſis ornatis, ſacra Apoſtolorum Capita, quæ olim in Eccleſia S. Laurentii ad Sancta Sanctorum ſervabantur, a fel. rec. Urbano PP. V. Prædeceſſore Noſtro repoſita fuerunt. Beata capita, quæ ſanctarum illarum animarum ſedes nihil humile, aut mundanum, ſed cæleſtia ſolum ac Divina cogitarunt &c.

Digitized by Google

Rite dati cultûs jubeant ſperare Quirites.
Hæc meditantem animo BENEDICTUM aſpectat ab axe
Ipſe Petrus, curaſque alto ſub corde prementem.
Tum vero affari, mentemque accendere dictis;
Sancte ſenex, quem tot lectis e Patribus unum
Conſilio, & pietate gravem rex ætheris alti
Repperit eximium, noſtraque in ſede locavit,
Vive diu; nec te anguſti timor anxius ævi
Occupet abducens rerum molimine tanto.
Nunc age, perge feris purgare immitibus orbem,
Terrarumque plagas late celebrare per omnes
Servatorem hominum, ſanctumque extollere nomen.
Ipſe ego tecum adero; & tandem tibi debita reddet
Præmia, cum functum mortalis munere vitæ
Chriſtus in æthereum victurum adſciverit aulam.
Audiit, & cæli ſuccenſus amore ſacerdos
Per benefacta viam ad Superos molitur, & aras
Regifico cultu, doniſque ingentibus auget.
Exquilias etiam ſedes penetralia magnæ
Virginis, & caſti præſepia conſcia partus,
Sacra ubi Pontifices faciunt, ſanctoſque Mariæ
Conceptus, terriſque iter ad ſupera alta relictis
Concelebrant, longo reficit ſqualentia ſæclo;
Cælicolaſque omnes multa prece fervidus urget,
Et veniam ſupplex, pacemque Quiritibus orat.
Arcades interea ſoli cantare periti
Paſtores, quos juſtitia e tellure recedens
Poſtremos liquit, nunc læta reviſit amicos;
Laudibus hunc veris ſublimem ad ſidera tollunt,
Paſtoremque, Patremque, Salutiferumque vocantes.

F I N I S.

Digitized by Google